



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Vndecima die Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

atholicam. Obdormiuit anno quingentesimo
 quinquagesimo sexto, eiusque corpus Clotarius
 Rex lugentibus filijs eripuit, & suis humeris sustu-
 lit, Sueffionis sepeliendum, vbi super ipsum basi-
 licam cœnobialem decenter ædificauit: quam ob
 amorem sancti Medardi Gregorius amplissimis
 priuilegijs exornauit. Natalis est die octaua Iu-
 nij, quo die vitam eius virtutibus plenam, vt est
 in Bedæ Martyrologio, conscriptam habet tomus
 tertius Suriij, eandem videlicet, quam per Octa-
 uas legit Nouiomensis ecclesia.

*Lib. 12. epi-
 stola 32.*

Vndecima die Iunij.

1^o. *De sancto Remberto Flandro, e- piscopo Hamburgensi.*

*Ex historia apud Surium, & Albertum Crantium
 Hamburgensem.*

Remæ, sancti R E M B E R T I archiepiscopi &
 confessoris. Qui natione fuit Flander. Cùm
 enim sanctus Ansharius in Thorolto monaste-
 rio moraretur, vidit inter pueros in ecclesia
 grauiter se gerentem Deo dilectum Rembertum
 quem consentientibus parentibus, in prædicta
 cella seu monasterio nutriendum, & scholasti-
 cis disciplinis imbuendum commendauit. Ac
 deinde è schola dimissum, indiuiduum suæ lega-
 tionis comitem habuit & in episcopatu successo-
 rem. Prophetico enim spiritu, quo plenus erat,
 longè ante prædixit, eum sibi in pontificali ca-
 thedra successurum, & gratia meritorum in cæ-
 lesti regno fore consortem. Erat autem sanctus
 Rember-

Iunij. II.

N A T A L E S

Num. 12.
1. Cor. 9.

Noord-
wijck,
est in agro
Emsdano.

To. r. Suvij.

Rembertus, iam archiepiscopus, cum Moysse mi-
tissimus vir, & cum Apostolo omnium infirmita-
tibus compatiebatur, præcipuam curam habens
in eleemosynis pauperum, & in redemptione capi-
tiuorum. Cumque plures tenerentur à Danis,
quàm illius ære redimi poterant, sacra etiam vasa
distraxit, & miserorum redemptioni impendit.
Scribit autem Baño Corbeiensis abbas, quod in
Nordwilde pago Frisiæ existens, barbaris Danis ir-
ruentibus, agricolas & indigenas Christianos
adhortationibus confortauerit, vt contra Chri-
stiani nominis hostes armati occurrerent: ipsumque
per preces & lacrymas contra eos pugnasse, &
celeberrimam victoriam obrinuisse. Cædebantur
enim magna ex parte hostes: alij ad naues reuer-
tebantur. Numerata tunc sunt cæsorum capita, &
inuenta decem millia, trecenta ac septuaginta o-
cto. Alacritas enim vincientium, & victoriam
suam admirantium, effecit vt diligenter cadauera
cæsorum (quod aliàs fieri non consuevit) nume-
rarentur. Monstrarunt autem diu incolæ locum
in quo sanctus dum pugnaretur, orarat, perpetua
viriditate, etiam brumali tempore, insignem.
Multis præterea miraculis Dominus sanctum
suum, etiam viuentem illustrauit: cæcum illumi-
nauit per Confirmationem: sed & filium Regis
Franciæ à dæmonio liberauit. Sunt & alia multa
de sancto viro copiosè in eius vita exarata. In
quibus & illud est memorabile, quod statim vt or-
dinatus fuit episcopus, professionis monasticæ
habitum suscepit in noua Corbeia, eamque
professionem obseruauerit, quatenus labores e-
piscopatus permittebant. Natalem eius celebrant
quidam die quarta Februarij: sed Hamburgenses
celebrare

celebrare solent die vñdecima Iunij, & per Octa-
uam. Thorolti autem nullum superest monaste-
rij vestigium, quod Nordmannis debemus, sed
est Canoniorum diui Petri collegium.

2^o. *Appendix de puero Achas.*

Ex Thoma de Cantiprato.

CLaruit etiam Thorolti Achas, qui puer septem anno-
rum obiit anno millesimo ducentesimo vigesimo.
Cuius ad tumulum nemo psalmum centesimum trigesi-
mum nonum finire quirit, iudicantibus plerisque, bea-
tam pueri animam precibus non egere. Tantum de eo
Meierus in Flandriæ annalibus, Sed nobis magis eius ce-
lebranda est memoria ex Thomæ de Cantiprato libro se-
cundo de apibus. Scribit is suo tempore puetum Achas
honestis parentibus natum, in *Thorouth* Flandriæ oppi-
do, quinquennem visis Minoribus à parentibus multis
lacrymis obtinuisse eorum habitum; pecuniam exhor-
ruisse, & ad reliquas Ordinis consuetudines animum ad-
iecisse. Vnde cognouerunt habitum ab eo non fuisse pue-
riliter expetitum. In plateis pueros si distorti essent mo-
ribus, arguebat, & pœnas inferni proponebat: bonis ve-
rò gloriam inculcabat. Interdum docebat eos orationem
Domini. ani & salutationem Angelicam, adeo vt & senes
eius prudentia delectarentur. Patrem sæpe arguebat per
verba quæ à presbytero in sacra concione audierat. Matri
cùm in solemnitate rubicundis vestibibus templum intras-
set, imaginem crucifixi ostendit, & dixit; Intuere mater,
& videas Iesum Christum nudum in cruce pendentem,
sanguine rubricatum, & tu te in contumeliam eius vesti-
bus scharleticis adornasti? Cui illa acquieuit. Cumque
somma esset eius morum dignitas, orationis sedulitas,
non dum septennem ætatem implens, raptus est, nè mali-
tia mutaret intellectum eius. Appropinquans autem
morti, confessus sacramentum corporis Christi postula-
uit. Quod cum propter generalis Concilij vetitum, in-
rali ætate negaretur, manibus in cælum extensis dixit;
Tu nosti Domine Iesu Christe, quod meum summum
desiderium est te habere. Petiui te, feci quod debui. Et

*Cap. 23.
In priore
editione
cap. 27.*

Sapient. 4.

spero quod tui praesentia non frustrabor. Ad sepulcrum eius fratres nullo conatu, nulla reiteratione, psalmum De profundis, finire vel dicere potuerunt, ut inde intelligeretur suffragijs orationum sanctam animam non indigere. Credo, inquit Thomas, quod & idem mihi ad sepulcrum illius contigerit roganti. Parentes verò post mortem prolis, saeculum deseruerunt, & pater ordinem Praedicatorum est ingressus; mater verò Cisterciensium.

Duodecima Iunij.

1^o De S. Odulpho, canonico Ultraiectensi.

Ex historia, tomo tertio Surij, Passione Frederici tomo quarto, & Becano historico Ultraiectensi.

Traiecti, sancti ODULPHI, presbyteri & confessoris. Ad cuius meritum ostendendum, cum omne eius aedificium flamma vorax absumsisset, baculus quo seniles artus sustentare consueverat, in quo & tabellam ceratam ad nomina fidelium annotanda habebat, illaesus reperi- tus est, adeo ut nè vnus quidem apex in cera deperierit. Hic temporibus Ludouici Augusti, voluit post presbyterium suum summæ reuerentiæ locum Traiectum adire, sed parentum precibus enictus, ecclesiae populiq̃ue Oorschotensis aliquamdiu pastor fuit: Verum non multo post cœnobiticæ & communis vitæ clericorum Traiectensium amantissimus, ad eos migravit. Quo loco tunc erat magnæ sanctitatis episcopus Fredericus, qui sanctum honore condigno suscepit. Ipse vicissim sub tanto praesule erat omnibus ardens diuini luminis lucerna, strenuus in vigilijs, potens ieiunijs, in oratione sedulus, in sacra le-
ctione